

cognoscere potestis ex officio nostro qui sunt homines Marchionis, & quod Alexandrini eos receperunt in cives, vel habitatores postquam Marchio juravit societatem, & etiam per instrumentum pactionis, quod ab eis extraxerunt, & etiam per aliud instrumentum, in quo continetur quod Potestas Albæ præcepit Potestati Alexandriae ut expediret, & expeditos, & absolutos dimitteret homines Felcarolii cum rebus suis usque ad diem Dominicam venientem, & est subsign. per B.

XIX. Idem dicimus de facto Alicis, quia constat per eorum confessionem, quod illam turrim, & domum destruxerunt tempore præsentis guerræ.

XX. Quod dicimus de facto Lintignani, & Merenzani, quia constat per eorum confessionem, quod illam partem, quam dicimus nos habere in prædictis dicunt se munisse in præsentis guerra, quæ nunquam alias per eos fuit munita.

XXI. De facto Bajoni non laboramus, quia illud advenit a V. mensibus infra. Nam Marchio de illo castro guerram faciebat Alexandrinis; & Alexandrini in præsentis guerra villam, & poderium Bajoni combuxerunt, & destruxerunt.

XXII. Item dicimus de facto Lanerii sed oppositioni, quam faciunt, quod illi Coxana fecerunt eis pactum de non alienando, ita respondemus quia in illo pacto continetur, ut dicunt, quod poterat fieri alienatio consortibus, & Marchio erat consors in illo castro de Alice, quia habebat turrem, vel tures in eodem castro antea. Præterea non confitemur quod Alexandria, & Lintignanum sint in Acoxana, immo sunt in Barberina, nec confitemur aliquid de illo pacto.

XXIII. Item oppositioni quam faciunt, quod dominus Marchio res suas alienaverit, vel obligavit Imperatori, ita respondemus quod Marchio non alienavit, vel obligavit; & si contingeret, quod obligaret, nihilominus habere, in rem actionem legis Aquiliæ, & alias actiones proprie sibi competentes. Nam quilibet debitor si decem solidos mutuo accipit, dicitur: *res suas obligat*; & nihilominus actiones suas retinet, quas habet occasione rerum suarum.

XXIV. Item dicimus quod Rectores, qui receperunt compromissam, & ordinaverunt contractum, intellectum Marchioni dederunt, quod illa obligatio Marchioni non nocere debet in prædicto facto.

XXV. Item de facto Conzani non laboramus, quia illud decrevit in præsentis guerra, & fuit occasio præsentis guerræ; & petitio Marchionis est ut illi DD. de Conzano, qui pro eo tenent, debent redire in Conzano, in castro, & villa, & poderio in eo statu, in quo erant ante inceptam guerram, & ut damna eis data in domibus, caminatis, & aliis eis restituantur, & ut murus, qui factus est per medium castrum de eorum lapidibus destruat maxime cum sit factus pro parte super eorum terram, & eum clausurunt inter Capellam, quæ est communis, & plura eorum sedimina. Partes autem ipsorum dominorum, qui sunt homines Marchionis, sunt inferius designatæ in quodam scripto.

XXVI. Super petitionibus autem eorum taliter respondemus. Imprimis de facto Maxii dicimus, quod Marchio nil tenet in Maxio, sed introivit Maximum in servitium Astensium.

XXVII. De facto Castellete ita dicimus, quod Marchio ibi tenet medietatem secundum quod Albenenses concordaverunt, & secundum quod ipse & pater suus quondam tenebant: aliam partem non tenet, nec credit quod Alexandrini habeant ibi aliquid juris.

XXVIII. De facto damnorum dicimus Marchionem non teneri, quia si aliqua damna dedit vindicando, & ulciscendo quia Alexandrini in ceperant ei guerram.

(1) Hoc est Foro.

Conventio inter M. Bonifacium, Alexandrinos, Astenses, & Vercellenses.

MCXCIX.

104

Pridie idus junii pax in sequenti tabula fuit composita in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Concordia, & societas inter Commune Mediolani, & Placentiæ, & Vercellarum, & Alexandriae, & Hastæ ex una parte, & ex altera dominum Bonifacium marchionem Montisferrati, & Guilielmum filium ejus talis est, scilicet prædictus Marchio, & filius ejus per se, & per omnes homines sui districtus custodient, salvabunt, & manutenebunt omnes homines prædictarum Civitatum, & earum districtus suæ jurisdictionis tam Clericos, quam Laicos, qui stant, vel steterint ad præcepta ipsarum Civitatum in personis, & rebus per totam suam terram, & aquam, & districtum, & virtutem,

Item adjuvabunt omnes prædictas Civitates, & unamquamque earum de omni guerra, & omnibus guerris, & discordiis, quas habent, vel habuerint, vel alicui earum apparuerint contra omnem personam, & personas, & civitatem, & locum, & castrum, & villam bona fide, & sine fraude, ita tamen ut prædictus Marchio, & filius ejus non tenentur hoc juramento adjuvare Alexandrinos, vel Hastenses, vel Vercellenses contra Aquenses, & contra illos de Alba, & contra Yporienses, & eodem modo tenentur ipse Marchio, & filius ejus Brixienfibus, & Cumanis, & Laudensibus, & Novariensibus, quando ad hanc societatem pervenerint, & eos accipere tenentur in hac societate. Illud idem facient prædictæ omnes civitates, & unaquæque earum eidem Marchioni, & filiis ejus, & suis hominibus, & rebus, & eodem modo eos adjuvabunt, salvis tamen Sacramentis, quæ Mediolanenses fecerunt de societate facta cum Cumanis, Laudensibus, & Novariensibus, & salva societate Lombardiæ, & salvis Sacramentis, quibus Placentini tenuerunt Malaspinis, & quibus tenuerunt Bobio, & quibus tenuerunt Pontremolo, & salva societate Lombardiæ, & salvis exceptionibus datis in scriptis a Vercellensibus, & Alexandrinis, & Hastensibus, quæ videlicet sunt istæ.

Hastenses volunt excipere, ut non teneantur pro hac societate adjuvare aliquem contra omnes cives Hastenses habitantes in civitate, vel extra, & omnes homines de posse, & virtute, & jurisdictione Hastensi, & dominum Hastensem Episcopum, & civitatem, & homines de Alba, & Carium, & Testonam, & Advocatos de Montecucco, & Obertum.